



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

SS. Petrus & Paulus Apostoli. 29. Junii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

tu specialis & domestica virtus hominis S. Ambros. 3. offic. cap. 3. Quæ tua humanitas? in amore? in more? in ore? in re?

3. Basilidi, quod conservasset POTAMIENAM, non quidem illæsam ab igne, sed à furore ardentis multitudinis, corona obvenit à cælo POTAMIENÆ offerente: & ex lictore factus est Martyr non alieno sed suo sanguine purpuratus. Quanta manebit corona & merces in altera vita illi? qui animam proximi ab igne infernali vel custodivit dehortando à peccato, & impediendo, vel peccatorē à peccatis ad Deum reducendo. Quantum e contra pænæ illi? & quæ ratio reddenda? qui exemplo suo vel jussione perdidit animam Christi sanguine redemptam?

## SS. PETRUS & PAULUS Apostoli.

29. Junii.

*Tibi dabo claves Regni cælorum,  
& quodcunque ligaveris super  
terram erit ligatum & in cælis.*

Matth. 16.

**R**ectius hodie Roma, misso cum Remo Romulo, conditores suos PETRUM & PAULUM



PAULUM salutatur, quando huic meliori Orbis imperium capite suo pepererunt. Et PETRUS quidem, qui pro Christo in terris rem Christianam administravit, quæ ad ignem peccaverat, semper oculorum imbre plectens, cum captus & in vincula datus ab Herode, ab Angelo exemptus esset, morbos passim omnes vel umbrâ suâ fugasset; demum orbem in Urbe adortus Christi signa primus Romæ intulit. Hic ubi præstigiatorum Simeonem in cælos (ut ipse quidem aiebat) volentem humi dedit præcipitem, Neronis furori cedens Christum obvium habuit, qui rogatus quò iret, Romam ire se ad alteram crucem respondit. Implevit vaticinium Christi continuo PETRUS, sed ut Magistro honorem cederet, inverso corpore tolli in crucem voluit, quò capite terris, hoc pedibus cælo jam propior. Jam PAULUS ille cæli etiam ante fata civis, ille Nominis Jesu per omnem orbem præco, post edita miracula & litterarum oracula quàm plurima, hoc ipso die PETRO triumphantis collega additus, securi percussus est. Caput sanguinis loco primò lac, deinde ter geminos fontes totidem saltibus dedit, oleum

inte



interim effusum, JESU nomen clamando, im-  
miscens. Agnosceres tam pretiosis liquori-  
bus refertum electionis vas esse. *Ex hist. Eccl.*

## M E D I T A T I O

## De SS. Apostolis Petro &amp; Paulo.

1. **V**iderat Petrus pleraque Jesu Christi mira-  
cula, Iesum tamen ter negavit, ac ipso  
quidem Passionis tempore. *Prô!* quanta est huma-  
na fragilitas! Cum timore & tremore operemur sa-  
lutem nostram; ne desperemus tamen: nos quip-  
pe, si respexerit Iesus, salvi sumus: peccata lugeamus  
exemplo Sancti Petri, cujus ex oculis duo lacry-  
marum rivi jugiter erumpebant, cum recordaretur  
perfidie suae. *Sacrifica lacrymas, tanquam vulnerati  
sanguinem cordis.* Aug.

2. **PAULUS** ex persecutore fit Apostolus, Quid  
sumus? quid fuimus? ut vera sit conversio nostra,  
imitari debemus S. Pauli in viâ virtutis constanti-  
am, adeò, ut citius vitâ quàm gratiâ careamus. Stuo-  
deamus pariter, ejus habere patientiam, animarum  
studium, humilitatem, & in Christum amorem.  
Audi, quid dicat S. **PAULUS**, *Imitatores mei estote,  
sicut & ego Christi.*

3. Vide, quibus honoribus hi Apostoli in terris  
nunc afficiantur. Reges, Imperatores, Summi  
Pontifices supplices abjiciunt sese ad cineres pesca-  
toris, & artificis; nôrunt quippe, maximam eorum  
in cœlis potentiam, & dignitatem. Honorum cu-  
pidi; quid præ his honoribus sunt honores sæculi!



si tantus honos sanctis in terra adhibeatur, quid  
in Cælo? sanctorum virtutes imitemur, & quam  
consecuti sunt gloriam, nos pariter consequemur.

## S. MARTIALIS EPISCOPVS.

30. junii.

*Nihil intulimus in hunc mundum,  
haud dubium, quod nec auferre  
quid possumus. Paul. i. ad Tim. cap. 6.*

**N**ON mirum si tam mira præstitit hic  
Galliæ Apostolus, qui duodecim An-  
gelos habuit in ea convertenda adjuutores.  
Miraculum certè ingens esse oportuit. Cu-  
jus, vel solâ famâ moti, hominum mil-  
lia quindecim, desertis idolis Christo se ad-  
dixere. Factum tam fortè prodigium in Va-  
leria Virgine quæ ob castitatem Deo jura-  
tam, cùm sponsalia Aquitaniæ Ducis recu-  
saret, decapitata ab irato fuit: at suis manibus  
de terra sublatum caput truncata ad-  
operantem sacris Martialem asportavit, qui  
caput trunco, animam corpori, vitam vir-  
gini momento restituit. Atque hoc multos  
plurimos adolescens oratione movit, qui  
à Sag-